



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Calvinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiæ, 1595

Argumentum Epistolæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447



ANTIDOTA
APOSTOLICA
CONTRA NOSTRI

TEMPORIS HERESES
in Epistolam D. Pauli ad
Romanos.

Argumentum Epistolæ.

CONSTAT Epistola ad Romanos duabus præcipuè partibus, vna dogmatica vsque ad finem cap. 11. altera ethica vsque ad finem epistolæ. Scopus Apostoli in tota dogmatica

hic est: Quia ex circumcissione credentes ad-
huc legalium suorū amore tenebantur (cuius
causam vide apud Origenem lib. 2. contra
Celsum) ideóque partim legem cum Euan-
gelio retinendam asserabant (quod in hac
epistola principaliter Apostolum refutare
commentarij D. Hieronymo & D. Ambro-
sio ascripti tradunt; etsi hunc errorem iam
ante septem annos Concilium Apostolicum
A exploserat,

*Epistola
scopus.*

ad. 15. exploferat) partim ex merito obseruatę legis ad fidem Christi se vocatos fuisse, nec nisi ex eorum genere vocandos esse opinabantur; contra verò Gentiles propter morales virtutes & philosophię studium (quod nuper non in Gracia tantum, sed & Romę studiosius excoli cęperat) Christi fidem se accepisse reiectis Iudęis gloriabantur; has ob causas scopus Apostoli est, ostendere tum Iudęos tum Gentes peccatores fuisse, & sola Christi gratia iustificatos esse. Est ergo gratię commendatio principale quidem Apostoli argumentum, vt rectissimę docuit S. Augustinus lib. de Spiritu & lit. sed ex causis predictis, vt idem docet Augustinus in expositione inchoata huius epistolę, & ad Simplicianum lib. 1. q. 2.

Disputa-
tionis
Apostoli-
ę series.

Hunc autem futum scopum hac ratione prosequitur. Pręmissa breui pręfatione, & captata Romanorum benevolentia, primò commendat virtutem seu gratiam Euangelicam, quatenus in ea iustitia fidei reuelatur olim vel penitus incognita, vel obscurius tradita, vel parcius impertita; ponens in eo quasi fundamentum totius futurę disputationis, hanc Euangelicam gratiam ostendit esse necessariam ad salutem omnibus: Gentibus quidem posteriore parte primi capituli, Iudęis verò tribus capitibus sequentibus, quę tria capita id potissimum docēt, Iudęos neque ex lege, neque ex genere suo, neque ex circun-

circumcisione fuisse iustificatos. Vnde sequitur, non fuisse legis Mosaicæ vel cognitione vel obseruationem necessariam ad Euangeli-
 fidem comparandam, multo minus à i-
 credentibus legem cum Euangelio esse coniungendam. Ita horum capitum disputatio id fuisse primarium Apostoli intētum quibusdam persuasit, vt doceret, legē cum Euangelio non esse coniungendam: quum illud potius intendat Apostolus docere, quōd legis Mosaicæ cognitio vel obseruatio non esset necessaria ad Euangelij fidem comparandam. Quare & in alijs 5. capitib. seqq. videl. à cap. 5. vsque ad cap. 9. inclusiuē Apostolus totus est in gratiæ Euangelicæ commendatione. In quinto quidem cap. ferē vsque ad finem à bonis quæ per illam sumus consecuti. Hinc sub finem quinti cap. vsque ad 9. cap. à remotione malorum à quibus per illam liberati sumus, vtpote à seruitute peccati in genere toto cap. 6. à seruitute legis siue mandatorū quoad iugū premēs, siue membrorum quoad imperiū dominās, toto cap. 7. à damnatione tam culpæ quàm pœnæ toto cap. 8. cum appendice de adoptionis nostræ conditione, & hæreditatis amplitudine quæ illam conditionem leuem facit, vnde & nascitur confidentia filiorum Dei in perfecta libertate spiritus.

Hinc agit de ordine vocationis ad fidem, an scilicet ex electione gratiæ detur, an ex

A 2 præce-

precedentium operum meritis, vt tam Iudei
quàm Gentiles, sed Iudæi maximè, opina-
bantur: & quidem cap. 9. sicut docet gratui-
tam Dei misericordiam in electos, & non
iniustam reprobatorum reiectionem; ita quo
ad Iudæos ipsos versat magis hanc quæstionem
quàm soluit; Iudæorum hac in parte im-
probam & pertinacem curiositatem magis
redarguens, quàm eorù dubitationi respon-
dens. In fine tamen incipit soluere, & duo-
bus seqq. cap. 10. & 11. magis soluit, docens, Iudæos
ideo à Deo reiectos, quia nō ex fide & gratia
Mediatoris, sed ex operibus legis quærebant
iustitiam: ideoque eorum reiectionē iustam
fuisse, & lapsum inexcusabilem; non tamen
vel irreparabile, vel generalē, vel inutilem,
vel denique superuacaneam. Postremò circa
medium cap. 11. docet, Gentes non debere
aduersus Iudæos gloriari. In parte ethica
docet vsum gratiæ Christi, vt quis sit perfe-
ctus, nempe cap. 12. quo ad sanctitatem &
vsum donorum Dei. cap. 13. primùm quo ad
iustitiam erga proximum, ac deinde quo ad
puritatem quā in seipso quisque conseruare
debet: cap. 14. vt infirmos fratres nec scan-
dalizemus nec iudicemus: cap. 15. vt eos
quoque sustineamus: cuius rei occasione
iterum excurret in vocationē Gentium: ac
deinde eodem cap. subiicit quædam fami-
liaria ad se pertinentia. Denique vlt. cap.
contexit varias salutationes, obiter monens
vt ab

ut ab hæreticis & nouis dogmatistis sibi caueant. Ita hæc vna epistola primarium fidei dogma de gratia Christi & prima peccatorum iustificatione pertractat, atque ad mores & pietatem copiosè informat.

Argumentum Capitis I.

COMMENDAT prædicationē Evangelicam tanquam ad salutem necessariam: quia iustitia Dei ex fide in ea reuelatur propter credentes, & ira Dei in ea manifestatur propter impios, maximè verò Gentium sapientes, quorum cæcitatem & vitæ turpitudinem describit.

Verf. 5. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatam ad obediendum fidei in omnibus gentibus, &c.*

VALET hic locus contra hæreticos pro Ecclesiasticæ prædicationis auctoritate, cui obediendum sit in doctrina fidei capessenda. Ait enim Apostolus, *accepisse se à Deo gratiam & Apostolatam*, id est, Apostolicam docendi & prædicandi potestatem, *ad obediendum fidei, τῆς ὑπακοῆς πίστεως*, id est, ad obedientiam fidei ingenerandam *apud omnes gentes* quibus prædicaturus erat, vel ut omnes gentes ei prædicanti

Ecclesiasticæ prædicationi obediendum.

A 3 obedi-